

PALAESTRA LATINA

SUMMARIUM

DE RECTA LINGUAE LATINAE PRONUNTIATIONE.
(Jové).

CONLOQUIA IN SCHOLA.

EPISTULARUM COMMERCIUM.

MITIS ADESTO, (L. Marcos).

NOVA ET VETERA, (E. Jové)

CURSUS GYMNASIICUS, (H. Martija).

PER ORBEM, (J. M. Jiménez).

RESPONSORIUM.

BIBLIOGRAPHIA, (R. Casals, L. Mayor, I.
González, H. Martija).

AD APOLLINEM, (A. M. Loza) in operculis.

EXERCITATIONES SCHOLARES in operculis.

COMPOSITIONES VERTENDAE in operculis

Ordinarii atque Superiorum permissu

AD APOLLINEM

Horatii Ode 31 l. I

Hispane reddita

*Quid dedicatum poscit Apollinem
vates? quid orat, de patera novum
fundens liquorem? non opimas
Sardiniae segetes feracis;
non aestuosae grata Calabriae
armenta; non aurum, aut ebur Indicum;
non rura, quae Liris quieta
mordet aqua taciturnus amnis.
Premant Calena falce, quibus dedit
fortuna nitem, dives et aureis*

*mercator exsiccet culullis
vina Syra reparata merce,
Dis carus ipsis; quippe ter et quater
anno revisens aequor Atlanticum
impune. Me pascunt olivae,
me cichorea, levesque malvae.
Frui paratis et valido mihi,
Latoe, dones, et precor integra
cum mente; nec turpem senectam
degere, nec cithara carentem.*

¿Qué pediré yo a Apolo en este día
que un templo en honra suya se levanta,
al hacer las primeras libaciones
de sus altares en las ricas aras?

¿Le pediré las mieses abundantes
que lleva en su regazo tierra sarda,
o sabrosos rebaños como aquellos
que cría en sus campiñas la Calabria?

En sus votos no aspira este poeta.
a cosas tales, ni ambiciones tantas.

No codicio ya el oro de la India,
ni el marfil ambicionado de la Arabia,
ni apatezco los campos cuyas tierras
carcome el Garellano con sus aguas.

Pode alegre sus viñas quien posea
en pedazo de tierra vid lozana;
o el rico mercader, que impune surca,
confiado en un leño, mar airada,
trocado por las drogas de la Siria,
beba el suave licor en copas áureas.

Para mí solo quiero verde oliva,
alegres achicorias, leves malvas,
salud robusta porque goce de ellas,
un cuerpo varonil con mente sana,
una honrada vejez, llena de bríos,
más una lira con que cante el alma.

ANTONIO MARIA LOZA, C. M. F.



PALAESTR LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesselarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Pretium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España

De recta linguae Latinae pronuntiatione⁽¹⁾

Diphthongi ae oe, ai oi comparate pronuntiantur. —

b) *Ex ipsa diphthongorum natura.* Si quaerimus ab grammaticis quid sit diphthongus, omnes una voce respondebunt fere cum Des-pauterio: «Diphthongus est duarum vocalium vim suam retinentium in eadem syllaba complexio». ⁽²⁾ Sed in vulgata pronuntiandi ratione non retinet sonum prima earum, sed tantum altera, cur igitur *ae oe* diphthongos appellamus?

Renascentium litterarum ille testis est, cui adjungamus oportet Marium Victorinum qui veteres repraesentet grammaticos: ⁽³⁾ «Duae inter se vocales jugatae ac sub unius vocis enuntiatione prolatae syllabam faciunt natura longam, quam Graeci diphthongon vocant, veluti geminae vocis unum sonum ut *ae oe au*» Quibus in verbis animadvertite etiam comparatam omnino diphthongum *au* cum reliquis duabus. Quid igitur in *au* duae sonant vocales, dum in *ae oe* tantum altera e? Quanto rectius et rationabilius illi qui ante renatum litterarum, quo tempore scriptis restitutae sunt diphthongi, ubique e duntaxat exscribebant, eo quod e solum pronuntiarent.

Galli *ou eau* et similia nequaquam diphthongos vocant. Roget quis puerum Gallicum: quot vocales continet nomen *Rousseau*? Respondebit: «duas» — Quare? «— Quia quamvis quinque ibi inveniamus, tantum sonant duae.» — Recte quidem. Rogemus vicissim nos Martialem quot sint litterae in verbo *Naevia*. Qui respondebit:

Naevia sex cyathos, septem *Justina* bibatur. (VIII, 51)

Mos fuit in hilarioribus conviviis ut comptores amasiorum et amicarum nomina proferrent, ac tot haurirent pocula quot litteris ea constarent. Ergo sex sunt litterae non quinque in *Naevia*, quia eo

(1) Confer num praecedentes — (2) *Commentarii Gramm.* Lib. II, reg. de diphth. — (3) *Keil, Gramm.* Lat. VI, p. 32.

tempore singulae earum audiebantur, neque in diphthongis prima unquam obmutescerat. Unde recte grammatici Gallici J. M. Guardia et Wierzeyski adserunt⁽¹⁾ «Ae oe sunt pro ai oi. Diphthongus ai invenitur ab temporibus magis dissitis ad finem usque Imperii. Diphthongus oi sine alteratione invenitur in antiquissimis documentis. Lucillii coevi eodem modo ae et ai pronuntiabant, ex quo tempore hic poëta scribere jussit ai in genitivo et dativo singulari, et ae in nominativo plurali nominum primae declinationis. Aetate Gracchorum et scriptura et pronuntiatio inter oe et oi oscillabant». Quibus omnibus haec Marii Victorini juvat tandem addere: «Vos igitur sine controversia ambiguitatis et pluralem nominativum et singularem genitivum per ae scribite, nam qui non potest dignoscere supra scriptorum vocum numeros et casum valde est hebes.»⁽²⁾

Animadvertendum tamen est quod de diphthongis tradidit Vossius: Diphthongus est sonus compositus ex sonis duarum vocalium, sic ut uterque audiatur, si enim solum auditur una vocalis, diphthongus dici nequit. Nec tamen necesse est ut uterque sonus aequè audiatur, interdum enim altera vocalis tantum habet semissem temporis vel tertiam partem». Equidem vero quis poterit ae oe uno sono pronuntiare, nisi alteram, quae est e, attenuet? Nam vocales a o e fortes sunt et vocantur; fortes autem vocales binae una vocis emissionem proferri nequeunt, nisi debilitetur altera earum; e vero debilitata in pronuntiando vergit ad i, quanquam in diphthongis et alibi generatim aurea litterarum Latinarum aetate hujusmodi exilis littera scripta fuerit e.

Interdum etiam per diaeresim diphthongi peribant et ex una syllaba duas poëtae faciebant. Quid tum? Secunda earum, quae, ut diximus, vergebat ad i, totum reciperebat sonum et tum nunquam non per i clarissimum et pronuntiabatur et scribebatur. Quod, si quid probat, nihil aliud utique probat quam vicinitatem e diphthongalis ad i. Innumera sunt apud Lucretium ejusmodi exempla, neque desunt apud Vergilium duo, alias satis vulgata, quae juvat hic praesentare:

Aulai medio libabant pocula Bacchi (Aen. III, 354)

Dives equum, dives pictai vestis et auri (IX, 26)

Praeterea diphthongi ae oe Latinorum sunt eadem omnino atque ai et oi Graecorum, cujus rei luculentissima habemus testimonia in veteribus grammaticis sicut in recentibus. Sic Terentianus Maurus:

- 2 Alpha (α) semper atque jota (ι) quem parant Graeci sonum
A et e nobis ministrant; sic enim nos scribimus.

(1) *Grammaire de la langue Latine*, première p., liv. I. chap. II. — (2) *Kölll, Grammat. Lat.* VI, p. 14.

Oi similiter *oe*; et *e* fit, jota (ι) quod Graecum sit.

Priscianus haec quoque habet; Pro ω quoque ο, et pro ι, e in diphthongo accipimus. Nemo autem intellexerit apud Graecos, ut ait Cluquennois⁽¹⁾, contractionem κἀγὼ=καὶ ἐγὼ si καὶ pronuntiatum sit κέ. De Graeco diphthongo οι sic loquitur paulo inferius laudatus scriptor; Athenienses aetate classica eodem modo illam pronuntiabant atque in systemate Erasmano. In eo aurem systemate pronuntiatum ογ. De αι diphthongo ipsum Erasmum audi⁽²⁾; Jam αι diphthongum evidenter audire licet in lingua Germanorum cum nominant Caesarem (*Kaiser*).

Cum satis ex hucusque dictis pateat priscorum Latinorum atque Graecorum duplicem diphthongum *ai oi* nihil in pronuntiando discriminari ab *ae oe*, quae quidem fuit communissima classicorum Latinorum scriptio, necesse est ut quodammodo explicemus, cur aetate aurea altera e littera potius quam *i* scriptores fuerint congavisi.

Primum omnium nemo est quin ultro profiteatur vel in recentibus linguis vocalem alteram diphthongorum *ai oi*, tam *e* sonare quam *i*. Audi quippe Germanum hominem dicentem *Kaiser*; audi Hispanum *boina* proferentem. Nonne ipse inter *e* et *i* scriptionem ambigeres nisi mos contrarius manum tuam regeret? Ad hoc accedit quod sermo Latinus ab Graecorum illa tribu quae Aeolia dicitur praecipuum decus accepit, quam constat non solum per αι et οι sed etiam per αε et οε eas diphthongos scripsisse. Quod manifeste declarat Terentius Scaurus his verbis⁽³⁾; Antiqui quoque Graecorum hanc syllabam (*ai*) per *ae* scripsisse traduntur. Cui rei hoc adjungit Keilus: Exempla αε diphthongi ex antiquis Boeotorum inscriptionibus adnotavit **Ahrensius de dialecto Aeol.** et post hunc alii. Obiter atque indirecte idem fassus est etiam Marius Victorinus ut legit apud eum J. G. Vossius⁽⁴⁾: «Graeci per ι *potissimum* hanc syllabam (*ai*) scribebant propter exilitatem litterae ε, γι autem propter naturalem productionem jungere vocali alteri non possunt; jota vero, quae est brevis et eadem longa, aptior ad hanc structuram visa est, quam potestatem apud nos habet et e quae est longa et brevis.» Quid sibi vult, rogo, illud *potissimum*? Hoc nempe adverbio adnuit clarus ille grammaticus Graecos αι diphthongum creberrime quidem per ι, at non semel repraesentasse eam per ε. Quam ad rem fuisse adductos declarat quod et ε nimium exilis esset, et γι nimium gravis; hoc autem e Latinae non contigit propter ancipitem ad utramque quantitatem habitudinem.

(1) *Le Grec et le Latin*. - Diphthonges n. 48. - (2) *Dialogus de pronuntiatione ad medium*. - (3) *Kell, Gramm. Lat.* VII, p. 16. - (4) *Kell, ibid.* VI, p. 14.

Tandem nonne huic negotio et sensus nationalis quidquam contulit? Id ego lectoribus admoneo: Latinos Graecorum *ai* diphthongum deseruisse atque *ae* suscepisse cum armis Graecos superare coeperunt; item tum apud eos *ai* instaurationem fuisse propugnatam cum Romanorum imperium decidebat et Claudius Caesar, quem Graeco modo vixisse D. Cassius autor est, scito publico ubique *ai* Graecorum perscribere jussit. Quae omnia pronuntiationis *ae* et *ai* identitatem magis magisque confirmant.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

(sequar).

Conloquia in Schola

Non libet (CAVILLUM)

OBSTRIGILLA TOR et BABURRUS ⁽¹⁾

in curru ferriviario

- O. — *Aufer, amabo, de sedili istam brassicarum cistellam.*
 B. — (obmutescit) . . .
 O. — *Numquid surdus es? Tolle statim cistellam istam.*
 B. — (Sedate) *Atqui, domine; nullatenus mihi libet.*
 O. — *Quid? Nullatenus libet? Tolles enimvero.*
 B. — *Equidem non tollam.*
 O. — *Id vero facies vel invitissimus.*
 B. — *Val Siccine? Jam videbimus.*

(1) *Baburrus* = *stultus, ineptus* juxta *Isidorum, Etym. I, 10*. Vide **Forc.** vocem *Babulum*. **Du Cange** adfert ex Gualdo in vita Sti. Anscaril hunc versiculum:

Ac quidam de plebe truces, hominesque
[baburri.

Ex vita manuscripta Caroli Magni jussu Friderici Imperatoris exarata hoc etiam desumitur: *Baburrus et insanus ab*

No me da la gana (SAINETE)

El REVISOR y el BATURRO ⁽¹⁾

en un coche del ferrocarril

- R. — *Haga el favor de quitar este cesto de coles de encima del asiento...*
 B. —
 R. — *¿Está V. sordo? ¡Quite inmediatamente ese cestol!*
 B. — (Con calma) *Pues, señor, a mí no me da la real gana.*
 R. — *¡Cómo que no le da la real gana! Pues lo quitará V. . . .*
 B. — *Pues no lo quitaré.*
 R. — *Vaya si lo hará, mal que le pese.*
 B. — *¿Ah, sí.? Ya lo veremos...*

omnibus reputabatur. Mihi visum est hoc vocabulum ad illos transferre homines, cujusque quidem regionis, quos baturros appellamus ex similitudine non tantum dictionis, sed etiam significationis. Vide notulam adjunctam.

(1) *Baturro* es dim. de *bato*. *Bato* (Del griego Βάττος rey de Cirene, famoso por su tartamudez). Hombre tonto o rústico y de pocos alcances. *Diccion. de la Academia.*

- O. — (Sibi succedens) *Aut cistellam inde auferis, aut custodes civicos arcessam.*
- B. — *Quemvis arcessito; etsi rex accedat, ego hinc cistellam non auferam: equidem non auferam, audin?*
- O. — (Bracchium ejus adripiens) *Tolle cistellam illico!*
- B. — (Usque tranquillus) *Sine me; nisi manis ut manu faciem tuam perstringam.*
- O. — (Discedit iratus, reditque paulo post cum binis custodibus) *En vobis homunculum qui obtemperare abnuat in re quam praecipiant leges. Ei iterum iterumque injunxi ut istam de sedili tollet cistellam, quod facere usque recusavit.*
- CUSTOS. — *Ergo tu istam cistellam hinc tollere non vis.*
- B. — *Nolo sane; idque dixi jam vicies. Non libet mihi, sitque hoc satis.*
- CUSTOS. — *At videamus. Quam ob rem illam auferre non vis?*
- B. — *Deo gratias, quod hoc tandem aliquando me rogasti. Atqui scito me cistellam ideo non tollere de loco, quia simpliciter mea non est...*
- O. — *Quidni dixisti hoc prius?*
- B. — *Hominem sane improvidum! Ecceur a me id comiter non rogasti? Si forte credideris me ubera adhuc sugere matris, insigniter errasti.*
- O. — *Igitur cujus est cistella ista?*
- B. — *Hujus nempe socii mei qui hic ad latus dormit.*
- O. — (Socium expergiscens) *Heus! Tolle inde hanc sarcinam!*
- SOCIUS. *Cistellamne? Id facio extemplo.*
- R. — (Impacientándose) *O lo quita inmediatamente o llamo a la guardia civil.*
- B. — *Puede V. llamar al que quiera, y aunque venga el mismo rey en persona, el cesto yo no lo quito. ¡Vaya que no lo quito. ¡Está V?*
- R. — (Agarrándole por el brazo) *¡A quitarlo al instante..!*
- B. — (Siempre con calma) *Suélteme V. si no quiere que le pase la mano por la cara...*
- R. — (Marcha furioso volviendo momentos después con una pareja de guardia civil) *Aquí tienen Vds. ese señor que se niega a obedecer lo que manda la ordenanza. Yo le he intimado ya varias veces que quite ese cesto de asiento y siempre se me ha negado.*
- GUARDIA. — *¿De manera que no quiere V. quitar ese cesto de ahí..?*
- B. — *No, señor, ya lo he dicho veinte veces...*
- GUARDIA. — *Vamos a ver: ¿porqué no lo quiere V. quitar?*
- B. — *¡Gracias a Dios que me lo preguntan! Pues sepa V. que no lo quito, sencillamente, porque no es mío el cesto...*
- R. — *¿Cómo no lo dijo V. antes..?*
- B. — *¡Vaya ese tío..! ¿Y por qué no tuvo la urbanidad de preguntármelo? Si pensaba que aún me mamaba el dedo, iba V. muy equivocado.*
- R. — *Entonces ¿de quién es?*
- B. — *De ese amigo que duerme aquí al lado.*
- R. — (Despertándole) *¡Eh!, quite V. ese bulto!*
- AMIGO. — *¿El cesto? ¡Al instante..!*

Epistularum Commercium

Josephus M. Jiménez Henrico Martija condiscipulo carissimo S.

Quoniam tu in epistularum commercium ultro me provocasti, ecce prodeoque, ut tuis potius suavissimis litteris delecter quam ut meis tibi oblectamentum ullum adferam. Atque cum dies jam Natales Domini proximi currant salvere te cupio omnesque qui in PALAESTRAE LATINAE aetuaria, ut apes in examinibus, dulcissimum Latinarum litterarum nectar jugi studio laboratis. Omnibus vobis annus MCMXXXIV, foribus apertis, faustissima praebeat et adferat.

Lucubratio tua de E. Cabanyes in superiore PALAESTRAE fasciculo vulgata, mexime placuit. Nonne tu quoque Cl. Laurentii Riber de Xaverio a Burgis Horatii cultore adnotationibus in «El Debate» Id. Dec. editis, animum voluptate saginasti? Utinam et aliorum Hispanarum vatum, qui ex poësi Horatiana libarunt, exuvias suscite et memoriam ferventer recolas!

Cum his litteris poëticas epheborum scriptiones accipies, qui nondum principia Latinae metricae sunt edocti et jam Musarum et Apollinis arces audacter petunt. Tu qui Latinos versus amare hisque delectari nunquam destitisti, quos et conficere feliciter valuisti, eas libenter accipies, conatibus et studiis puerorum perfrueris, mendis, si quae sunt, indulgebis. Quod si aliorum aemulationem concitandam putas in Exercitationum Scholarum plagulis inserere cura.

Valebis et valere socios redactionis desideratissimos jubebis; ego quoque valeo.
Barbastro, X Kal.

Henricus Martija Josepho Jiménez s. p.

Tuarum litterarum lectione quibus rescribere festinavi, vehementer sum delectatus. Miror equidem et laudo tuam in nostro Commentario assiduam collaborationem; articulos quoque disertissimos de antiquitatibus Romanis perlegi, quorum primus hoc ipso numero in lucem prodit.

Discipulorum tuorum poëticas elucubrationes grato animo evolvi; omnes opportuno tempore typis mandabuntur; exercitium Latinos versus exarandi valde utile esse adulescentulis ad ingenium acuendum nemo est quin dubitet. Nonne recordaris et tu illius temporis cum in aulis rhetorices operosos versiculos condemus? Quanta juvenile pectus jucunditas implebat cum post multa menda multamque litem, castigatus exibat versus!

Magnopere laudo Barbastrensi aemulationem in Latinis litteris, imprimis tuorum sociorum in cathedra Latinitatis, quibus et Homerici sermonis magistro meo nomine salutem dicito.

Fac ut valeas.

Cervariae, idibus Januarii.

MITIS ADESTO

Cum me vultu conspiciat mors dira minaci,
 Instet et afflicto finis amara mihi;
 Cymbala tinnitu cum pulsent corda sinistro,
 Cum leti sudor frigidus ora riget;
 Clausis cumque oculis sit, solis lumine dempto.
 Aeterni jubaris lampas oborta mihi;
 Deciduae vitae cum frondis ab arbore nimbus
 Aethera per vacuum turbine raptus eat;
 Lucis supremo cum me discrimine fractum
 Mors jam jam Ditis regna per atra ferat;
 Pulvere cum tellus me condet avara sepulcri...
 Tum misero, Virgo, mitis adesto mihi.
 Praesidio tunc fulgentem te lumina cernant,
 Perpetuo sileant Nomine labra tuo.
 Tum metuenda Satan minitantem proelia furvum
 Robore non victo contere, Virgo potens.
 Tunc commissorum veniam largire dolenti,
 Judiciumque Dei sit prece lene tua.
 Ne praeceps Barathri fac labar sedibus atris,
 Sed miserans famulo pande benigna polum,
 Ut Jesu vultu nati, o mitissima rerum,
 Aeternumque tuo, Virgo Maria, fruatur.

Ludovicus MARCOS, C. M. F.


Villae Rosarii in Argentina.

NOVA ET VETERA

CUBICULUM^(a)

Extra zothecam est in cubiculo pars alia praecipua ubi quis lucubrationes (1) habere solet, quam conclave (2) recte vocant. In medio pavimento seu latericio seu lignito seu musivo non semel surgit eleganter monopodium. (3) Est autem monopodium mensa uno tantum pede subfulta, cooperta plerumque tapete villosa et variis figuris et coloribus picto; artificiosa saepe aliqua sculpturella decoratur vel capedine (4) quae multiplici termitate (5) flores ostendat tum naturales tum etiam artificii manu adlaboratos...

Quod autem in cubiculo res ceteras praestantia vincit est haud dubium mensa scriptoria quae intro euntium statim oculis objicitur, distinctis loculis (6)



Monopodium




Capedo

distributa, in quibus cartae ut epistulae, carmina, commentationes adservantur. Super mensam fere tenet pluteus (7) et super pluteum bursa ubi sunt in promptu aliquot plagulae et carta bibula. (8) Est quoque ad manum theca scriptoria cum atramentario (9) linimenti (10) pleno et calamo seu stylographo et graphio. (11). Hodie non est infrequens dactylographum personale separata in mensula quo facile et pulcre expediuntur documenta cum publica tum privata. Quid sit vero dactylographum bene norunt jam lectores nostri, qui ab initio commentarii nos sunt consecuti. Est nempe machina scriptoria tudiculis (12)

praedita, quibus pulsandis in carta pura litterae panguntur.

Pendet a latere meae scriptoriae mensae plumarium (13) quo, ineunte labore, pulverem discutio. Prope mensam cistella invenitur in quam scissas inmitto cartas quae usum ultra non sunt habiturae. Non desunt hinc inde




Theca scriptoria

(a) Vide fasc. superiorem, pag. 56.




in mensa libri quibus cottidie paene est utendum. Sed eorum plerique in scriniis (14) reponuntur bibliothecae quae viris studiosis deesse nequaquam potest; in ea custodiuntur libri in ordines digesti.

Aliud est etiam armarium ad vestes destinatum quod ideo vestiarium dicitur. In eo vestimenta adservantur, quod ne tineae invadant, ut suadet Plinius, amurca debet aspergi. Quae ad usum communem non attinent in arca (15) reconduntur, quae in cubiculo secretiorem sibi angulum expostulat.



Arca

Ut opus litterarium magna cum jucunditate semper exequamur non solum splendenti luce per noctem sed interdiu profuso sole opus est, qui cubiculum undique exhilaret. Ad hoc maxime facit moenianum (16) vel saltem ampla fenestra. Ex moeniano cla-



Plumarium

trata pergula (17) innixo licet cuiquam exerere interdum caput, cum forte studio gravidum dolere vel deficere incipiat. Si quando oporteat solis radiis directis carere, sunt in fenestra valvulae (18) quae eos convenienter deflectant et velum (19) praeterea ante fenestram facile expandendum. Non caret tandem elegantia aut decore raris quidem tabulis pictis (20) seu piis seu artificiosis cubiculi parietes honestare.



Tabula

(1) *Labores*. (2) *Cuarto*. (3) *Velador*. (4) *Jarro*. (5) *Ramita*. (6) *Cajón*. (7) *Pupitre*. (8) *Secante*. (9) *Tintero*. (10) *Tinta*. (11) *Lapicero*. (12) *Tecla*. (13) *Plu-*

mero. (14) *Anaqueel*. (15) *Baúl*. (16) *Balcón*. (17) *Baranda*. (18) *Ventanillo*. (19) *Cortina*. (20) *Cuadro*.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

CURSUS GYMNASTICUS

VERGILII ECLOGA VI (*sequitur*)

Non injussa cano: si quis tamen haec quoque, si quis
 Captus amore leget, te nostrae, Vare, myricae, 10
 Te nemus omne canet; ne Phoebio gratior ulla est
 Quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen.

Non injussa cano: Canto ea quae a hunc locum, «nec enim pagina ulla Apo-
 Phoebio cantare jussus sum. *Te nostrae* llini est gratior quam quae Vari nomen
Vare myricae: Metonymia signi pro re gestat in titulo». Hic finitur introductio
 significata, myricae pro carmine bucolico. *Nec Phoebio gratior:* Servius ad
 eclogae.

Pergite Pierides: Chromis et Mnasilus in antro
 Silenum pueri sommo videre jacentem,
 Inflatum hesterno venas, ut semper laccho. 15
 Serta procul tantum capiti delapsa jacebant
 Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.

Pergite Pierides: Transitto. In hoc fragmento usque *ille dolum ridens* tam pulcre pinguntur hujus dramatis campestris personae, ut oculis conspici putes. Pastores Silenum somno prostratum in caverna deprehendunt; *inflatum hesterno venas*, quod mores Sileni et genus somni in quo jacebat ostendit. *Inflatum venas* est constructio poetica. *Iaccho:* Bacchi nomen metonymice acceptum. *Serta procul:* «Omnes, ait La-
 cerda, habebat ebrietatis notas; haec una *tantum (solummodo)* deerat quod serta non gereret in capite. Verbum *tantum* signavi, ut verus lectori pateat sensus; haud placet interpretatio Unger (*Philologus, Ad poëtas miscell. critic.*, pag. 32) «serta procul tantum capiti delapsa jacebant, id est *in tantum* enim ut longe a capite abessent, delapsa jacebant». *Et gravis:* Versus elegantissimus, epithetorum proprietate conspicuus.

Adgressi (namque saepe senex spe carminis ambo
 Luserat) injiciunt ipsis ex vincula sertis.
 Addit se sociam, timidisque supervenit Aegle, 20
 Aegle Naiadum pulcherrima; jamque vident
 Sanguineis frontem moris et tempora pingit.
 Ille dolum ridens; Quo vincula nectitis? inquit,
 Solvite me pueri: Satis est potuisse videri.
 Carmina quae vultis cognoscite: Carmina vobis, 25
 Huic aliud mercedis erit; simul incipit ipse.

Adgressi: Jam apud antiquos vigebat opinio, ad futurarum rerum praedictionem a diis obtinendam, opus esse eos improviso invadere. Ita in libro quarto Odiseae, Menelaus manere coactus in insula Paros sede Protei, a deo
 marino didicit quae ad suum regressum pertinerent.

Ambo: In accusativo plurali non solum *ambos* dicimus, ut apud Terentium (*Heaut. 4, 3, 33*): «Vera dicendo non solum *ambos* fallam», sed et *ambo*, ut

duo pro duos, quod graeco more effertur. Ludo: Id est fallo, decipio. In hoc sensu Cicero (*De div.* 24, 53): «Hoc civili bello quam multa haruspicum responsa luserunt»: et Vergilius (Aen. 7, 442): «Senectus falsa vatem formidine

ludit». Moris: ablat. verbi *morum*, seu fructus arboris mori; habet *o* longum quo secernitur a *mora* quod est *tarditas*, cunctatio. *Quo* (ut quid, cur) *nectitis?* *Carmina vobis* (Satyris huic (Aegle) alia merces erit.

Tunc vero in numerum faunosque ferasque videres

Ludere, tunc rigidas motare cacumina quercus.

Nec tantum Phoebos gaudet Parnasia rupes,

Nec tantum Rhodope miratur et Ismarus Orphea.

30

Tunc vero: Incipit cantus Sileni, magnamque excitat naturae admirationem, non verae naturae sed poëticae qualem Vergilius in fabula Orphei effinxit (Ecl. III, 46). Veteres poësi et musicae miros effectus in res naturae tribuebant. Versus qui cantus Sileni de Craetione mundi antecedunt, tanta praediti sunt harmonia, quos rectius aequiparem musicae symponiae quae ad concentus audiendos parat animos. *In numerum:* Rythmice. Numerus enim

est, ait Tullius, «proportio quaedam inter duos pluresve motus, quorum cum alii sunt longiores, breviores alii, efficiunt concentum quemdam, qui vel gratus est, si proportio illa conveniens sit apteque respondens, vel ingratus si minus apte conveniat.» (*Orat.* III, 42-187).

Motare: Est idem saepe seu vehementer movere, (cfr. Ecl. V. 5), cui pulchre adversatur ephithetum *rigidas*. *Rhodope et Ismarus:* Montes Thraciae quos vates Orpheus peragravit.

Namque canebat uti magnum per inane coacta,

Semina terrarumque, animaeque, marisque fuissent,

Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis

Omnia, et ipse tenet mundi concreverit orbis.

Tum durare solum et discludere Nerea ponto

Ceperit et rerum paulatim sumere formas.

35

Namque canebat: Refert mundi originem iuxta Epicuri doctrinam. Meminerit lector Vergillum philosophiae Epicureae sub Syrone, ut videtur, operam dedisse. Opinatur Heine Vergillum sub oculis habuisse *Argonauticon* Apollinis; potius tamen apparet imitatio Lucretii (*De Rerum Natura*, I, V, 416 et seq.) In primis verbis *namque canebat uti* invenimus formam archaicam *uti* quae saepius occurrit in Lucretio: *Magnum per inane*; Confer (*De Rerum Natura*, I, 1018, 1002, 1108; II, 65-96; III, 17-27...). *Coacta:* Hoc verbo utitur Lucretius ad conjunctionem atomorum exprimendam: «*Semina rerum multimodis temere in cassum frustra*

coacta» (II, 1059). Nomina quator elementorum fere cum Lucretio conveniunt. (*De Rerum Natura*, I, 715; «*Ex igni terra atque anima crescere et imbrisi*».) Ex hujus fragmenti studio haec in aperto est sequela, Vergillum non modo prae oculis habuisse totum Lucretianum opus, sed illud apprime cognovisse, quippe cui lexicon poëmatum familiaris est. At vero poëta Mantuanus non scientifica ratione exponit fundamentalem theoriam Epicureismi, neque enim dicit quae virtute res naturae efformari coeperint, descriptioni tantummodo poëticae consultit. Notetur pulchritudo hemistichii *tener orbis*, imaginis felicissimae originis mundi.

Jamque novum terrae stupeant lucescere solem,
 Altius atque cadant submotis nubibus imbres;
 Incipiant silvae cum primum surgere, cumque
 Rara per ignaros errent animalia montes.

40

Pergit originem mundi describere. Sequentes versus venustate commendantur: *Jamque novum terrae stupeant lucescere solem*, ubi terra prima lumina solis miratur, et *rara per ignaros errent animalia montes*. Tibullus et Ovidius (*Metam.* I, 5-86) etiam de origine mundi disserunt. Lectorem invitamus ut per se ipse triplicem conferat descriptionem. Vergilius utrumque superat harmonia versuum et imaginum varietate; Ovidius vero longe superior

est in animalium et hominis origine describendo, praecipue vere ultimis versibus, quibus Latinae Musae nihil finxere perfectius, nihil sublimius.

Silenus postquam mundi originem cecinit, ad mythologica celebranda transit (*Vers.* 41-81), fabulasque refert Deucalionis et Pyrrae, furtum Promethei, episodica Hylae, Hesperidum, cetera de quibus fusius in Ovidii poemate *Methamorphoseon*.

Omnia quae Phoebus quondam meditante beatus
 Audiit Eurotas jussitque ediscere lauros,
 Ille canit (pulsae referunt ad sidera valles),
 Cogere donec oves stabulis numerumque referri
 Jussit, et invito processit Vesper Olympo.

45

Phoebus meditante: Poetae meditari dicuntur cum carmina pangunt postea recitaturi (cfr. Egl. I, 2). *Audiit Eurotas*: Imago poetica. «Eurotas amnis, ut ait Callimachus, in flumina serpit per Laconum fines. Ripae ejus lauro opacantur, quas ait Apollinis edidisse voces *jussitque ediscere lauros*, cum eodem loco

carmina referret». *Invito processit Vesper Olympo*: Qui vero numine poetico incalescunt, una linea penicillo ducta, perfectam efformant tabulam. Olympus suavitate cantus illectus, pluraque audiendi studiosus, aegre fert Vesperum cum nocte proferare.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

SALUTATIO

A.—*Sonat campanula. An sit Dominus B?*
 SERVUS.—*Vultne, era Dominum B excipere?*

A.—*Fac ut aulam ingrediatur.*

B.—*Domina, honori duco te salveret*

A.—*Faustus dies, eques. Sede, amabo—Fac sedes.*—*Quomodo habes?*

B.—*Optime, Domina; habeo gratiam. Tu vero?*

A.—*Gravedine aliquatenus laborabam, hodie autem optime valeo.*

B.—*Blanditur mihi recuperata tua valetudo.*

A.—*Bene es amabilis, quando de me cogitasti.—Jamdiu est cum te non video.*

B.—*Ad te saepe accessi, sed tui videndae voluptate carui.—Cartula mea tibi tradita fuerit.*

A.—*Ita est profecto, et doleo maxime domi non esse versatam.*

B.—*Quomodo perguit tuus ille pater?*

A.—*Minus valet aliquot abhinc dies. Inde est quod comera exire nequeat.*

B.—*Doleo admodum. Spero autem meliora.*

(sequar)

PER ORBEM

Aedilicii et archaeologici labores in Urbe peracti (1)

Alme sol, curru nitido diem qui
Promis et celas, aliusque et idem
Nasceris; possis nihil urbe Roma
Visere majus? (Carm. saec. c. 9-12).

Liceat etiam mihi iisdem coepisse versibus quibus Venusinus vates gloriam nomenque Romanum laudibus extulerat. Roma quidem et caput orbis et ingenii caput est pariter reputanda: caput orbis armis, victoriis, imperio; caput ingenii disciplinis, artibus, monumentis. Monumenta illa commemoro, quae tempore fastorum Imperii Urbem ditarunt atque exornarunt, quaeque post barbarorum direptiones atque vastationes, terraeque iteratos motus, civium malitia aut incuria, Romam in antiquitatum vastum coemeterium commutarunt, ubi argenteae, aeneae, marmoreae defossae jacuerunt exuviae. Archaeologi et litterati viri a saec. praesertim XVIII ut ea suscitarentur monumenta et denuo renovarentur semel atque iterum exposularunt; sed «*laudato ingentia rura, exiguum colito*». Desideria dignissima, pulera consilia; res vero nummariis aliisque difficultatibus referta. Titanum quidem opus Novae Italiae fervidae arduaue molienti erat concedendum. Atque Itala gens hodiernorum fascium totam regionem, maxime Romam renovare decrevit atque ruinas archaeologicas sublevare, quem laborem summo susce-

pit studio. Sed cum res sit vastissima, nihil de laboribus aediliciis aut archaeologicis extra Urbem in Italia peractis, sed tantum de his qui Romae postremis temporibus facti sunt aut nunc fiunt.

I. *Labores aedilicii*. Exteri qui ab anno 1925 nunc iterum Romam remeant, obstupescunt admiratione, atque novam, non veterem Urbem videre sibi facile persuadent. Etenim Roma juxta «Amplissimum regulantem planum Urbis» immutata atque usibus hujus saeculi et placitis sumptibus magnis aptata est. In his laboribus aediliciis plus sexaginta libellarum miliones impensi sunt. Sed omnibus operibus adhuc adgressis *Via Imperialis* et *Via in Mare* praestare videntur, de quibus pauca.

Via Imperialis.—Lucida et ampla via, quae a Coloseo seu Flavio Amphitheatro in Molem Sacconianam, perennior aere, juxta Capitolium in Venetiarum platea protracta *Via Imperialis* nuncupatur; eo nempe quod foris imperialibus circumdatur. Anno jam 1911 Corradus Ricci, Italiae hodie senator et Instituti Archaeologici et Historiae artis Moderator, consilium exposuerat a tenebris fora imperialia evocare atque, aedibus quassis, tabernis antris quibus operiebantur, viam grandem et faustam sternere, quae Romae ornamento esset et Romana fora honestaret. Labor ar-

(1) Bibliographia—Bicci, Colini, Mariani, «*Via de Impero*» Coll. itinerari del musci e monumenti d'Italia. Roma. 1933. P. Acciaressi: *Roma antica, medioevale, Moderna* Libr. Salesiana, Roma, 1924. De Ruyt: «*Les recent travaux archeologia de Romae*» in *Les Études Classiques*. Oct. 1933, pp. 417-441. Marrou: «*Ledenières fouilles de Rome*» in *revdes Études Latines*, 1932, pp. 469-475. Bendinelli: «*La sistemazio ne edilizia di Roma imperiale*» in *Mundo Classico*, 1933, p. 67.

duus, sumptus plurimi, at opus perenne et gloriosum. Via longa M circiter metra, patet autem triginta. Anno 1932 finita, optimis auguriis, V. kal, Nov. Dux Italiae sollemniter comitatus per eam ingressus est. Adspēctum quidem pulcherrimum *Via Imperialis* viatoribus praebet. Procul Colosseum adparet montium verticibus coronatum; hic et illic et forum Romanum, et Caesaris, et Augusti, et Nervae, et Trajani marmoreis reliquiis omnia splendentia; Basilica Constantini, Templum Pacis et Martis Ultoris, Trajani mercatum, Curia, Senatus, cet.

Via in Mare.—Eadem via imperialis sub Capitolium protracta cum nuperimo et frequentissimo itinere, automobilis tantum aperto conjungitur, a Sto. Paulo extra muros ad Ostiensem usque portum parato, quod *Viae in Mare* nomen accepit. Luculenta quidem via, et amplissima, antiquitatumque vestigiis locuples.

Qui per eam gradiuntur contemplari poterunt Capitolium, Latinis vatibus montem sacratissimum, nunc museorum praecipuorum sedem; Tarpejam rupem civium Romanorum fortissimum praesidium et hostium ultricem crudelissimam; theatrum Marcellum quod in mentem revocat illud poetae: *Tu Marcellus eris...*; forum Holitorium et Boarium ubi hodie «Piazza Montanara»; Stum. Nicolaum in Carcere cum Ionicis et Doricis artis vestigiis; templa Fortunae virilis et Vestae atque non procul Circi Maximi fundamenta nondum omnino explorata.

His elegantissimis viis apertis Roma magnopere ornatur et antiquissima monumenta inlustrantur. Tamen opus hoc aedilicium archaeologico studio et opera perfici oportuit, quod fere perfectum est, uti aliis plagulis patere faciam.

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

(sequar)

Responsorium

J. A.—Celsonae. — Quaerebas, bone Johannes et dulcissimae memoriae, tuis superioribus litteris in exemplum gratissimis, quomodo classici Latini qui vocabulis abstractis non oblectabantur, de rebus philosophicis praesertim et theologis hodie agerent, quibus necesse est nos passim praepediri. In primis tecum sum in ea re adserenda quae notam sermonis Latini constituit maxime singularem, politisque scriptoribus recentibus minime praetereundam. Quid igitur faciendum? Saepe nimirum in re-

bus philosophicis et theologis tractandis, ea quae nostris linguis neolatinis abstracte dicuntur sine specierum confusione aut ambiguitate recte concreto modo exprimere possis; tum potius eo facies modo, ut *bonum est communicativum sui non bonitas est communicativa sui*. Cum autem in errorem facile quis irrepserit ea ratione agens, ne dubitet abstracta vocabula usurpare, prima enim elegantiae regula est fultque semper perspicuitas in sermone. Vale.

Bibliographia

Ign. Errandonea S. J. — *Epitome Grammaticae Graeco-Biblicae.*

Lucide patet scopus libelli, sermonis scilicet Graeco-Biblici accurata et concinna explicatio. Ille quidem sermo alius non est ac Lingua Hellenistica, ἡχοινῆ dicta, ab Oratoris Atheniensis occasu (322 a Ch.) quinque per saecula in orbe quaquaversum dominata.

Istiusmodi ergo libri in paginis plus centum trutiniae subdit cl. Auctor adpectus Graecae grammaticae: lexicales, sc. phoneticos, morphologicos, aequae ac varias partes syntaxeos, quaecumque tandem Graecanicam linguam discriminant a prisca illa classica, ab Homero currente ad obitum usque Demosthenis.

Itaque omnia nave perlustrans, indice veluti signat quot inconcinna vocabula, et quomodo Atticismum pervaserint aureae linguae. Inprimisque nonnullas ut tangam. obveniunt: a) *derivata* v. c. Θεότης, σκανδαλίξειν, alia. Maxima *diminutiva* ut κονάριον, βιδλίον alia. b) *Se-* quantur composita v. c. ἐπεροτά pro ἐροτᾶν; c) Barbara plurima ut πραιτοριον, λεγιων, similia; semitica taceo seu aramaica.

Quid jam duali de numero loquar qui in desuetudinem decurrente Helenisticae historia prorsus devenit? Itidem de Attica declinatione.

Ad conjugationes quod attinet, verba in εω et in εξω exeuntia, Atticum tempus futurum un regulare mutarunt. Quemadmodum et Attica aorista in regularia conversa sunt. Verba pariter pura in αω, in εω, in οω finita intimas, subiere transmutationes; haud secus ac verba in μι et in νυμι. Mittimus alia.

Eadem navus A. instituit analysim de propositionibus, de conjunctionibus, aliisque particulis.

Per longum et latum optimas quasque diggerit normas Syntaxeos; quas inter de Articulo ὁ, ἡ, το notatu digna.

Claudit opus paradigmatis complurimis meri atticismi.

Labor sane praestat in se, et in ordine imo et in nitida impressione typorum valde laudandus; unde et perutiliter non modo sodalibus gradus petentibus Academicos, verum etiam Sacrorum Voluminum amatoribus omnibus.

R. CASALS, C. M. F.

M. T. Cicerone, De Finibus Bonorum et Malorum liber III, commentato da U. Moricca. — G. Chiantore, Torino, 1933.

Cl. commentator optimis censuris permotus quibus duo priores *De Finibus* libri notati fuerant hunc tertium adnotare et edere ausus est. Opus ad juvenes mediae institutionis ordinatum adnotationibus grammaticis et historicis praesertim ornatur eadem ratione ac priores libelli in PALAESTRA LATINA n.º 26, p. 128 recensiti. Doctrina philosophica in hoc Tulliano opere contenta commentariis Dni. Moricca maxime inlustratur.

M. T. Cicerone, Lelio dell'Amicitia, illustrato da F. Ramorino (Terza ed.) — G. Chiantore, Torino, 1933.

Laelius seu de amicitia conloquium prae omnibus Ciceronis philosophicis operibus pulcritudine nitet. Pluries ab humanissimis viris adnotatum adparuit; quo tamen Felix Ramorino, vir non tantum cognitus, sed inter praecipuos clarus, non est veritus Laelii textum optimis codicibus respondentem glossis scholasticis munire. Praemittit praefatiunculam XX paginarum in qua genus operis, doctrinam, personas explicat. Laelius «sapiens» appellatus, praetor in Hispania fuit bellumque contra Viriatum duxit. Maxima amicitia cum Spicione Aemiliano semper fuit conjunctus. Hunc

Laelium Cicero facit loquentem atque C. Fannium et Q. Mucium auditores proponit. Laelius, virtutibus amicitiae peclaratis, diserit de sapientium et de vulgari amicitia,

Conloquium *De Amicitia* a P. Llobera hispanice adnotatum est. quod pro hispanis et americanis et commendavimus (cf. PALAESTRA LATINA n. 9, p. 143) et iterum commendamus.

L. MAYOR, C. M. F.

Fr. Tirso Manrique, O. P. *Gramática de la Lengua Latina*. — Valencia, Imprenta Hijo de F. Vives Mora, Hernán Cortés, 8. — 1933.

En tibi, molis quidem non magnae, neque multae pecuniae nova Linguae Latinae Grammatica a Fr. Tirso Manrique, O. P., post diuturnos studii annos doctrinaeque tradendae litteraturae Latinae. Hic centum septuaginta duobus admodum absolvitur liber pagellis, qui et clarus, et methodicus, et ingeniosus, et schematicus facile evincitur,

Exemplis in tradenda doctrina praesens Grammatica non abundat, id quod argumentum alterius erit voluminis «El Auxiliar del Profesor Latino», quod auctor in adversariis adhuc retinet. In ea tota exponitur doctrina Latinitatis, quae quidem alumnis facillor reddatur a Praeceptore ope versicolorum acute excogitatorum, qui et excepciones presso sensu memoriae commendant, et regulas generum, concordantiae, regiminis... quasi uno conspectu praesentant et alumno et magistro.

G. B. Gandino, Lo Stile Latino. — G. B. Paravia et C. — Torino. Corso Vittorio Emanuele II, 199.

In manibus est opera clarissimi Professoris Gandino, ad excolendam tradendamque Latinitatem, ita ut prolixa hac

loco notitia PALAESTRAE lectoribus danda nobis non videatur. Praesens autem volumen «Lo Stile Latino», omnium adhuc editorum, ni fallor, praestantius, tanquam curriculum est Stilisticae, quae hodie audit, Latinae maximi quidem momenti cum alumnis tum magistris, siquidem et methodicum et clarum est et completum. Cursus vero hic Latinae Stilisticae diversis conflatur analectis, ab auctoribus Italis saeculi XIX exaratis, praesertim a Monti, Leopardi, Ambrosoli, in commodum eorum, qui ex Italo in Latinum vertunt sermonem.

I, GONZÁLEZ, C. M. F.

Ammiani Marcellini, Quae supersunt opera. — Lipsiae, sumptibus Ottonis Holtze.

Ammianus Marcellinus, historicus illustris, natione Graecus et patria Antiochenus, a genere nobilissimo ortum habuit. Professione fuit miles sub Constantino imperatore, post cuius mortem sub Juliano Apostata militavit contra Persas, dein inter protectores domesticos adscriptus. Historiam scripsit Romanae commorans, quo, relicto Oriente, se contulerat, optimarum artium studiis et auctorum Latinorum lectioni vacandi gratia. Stilus saepe durus, ut ipse fatetur (in fine operis), barbarie aspersus; ceterum gravis plane verique studiosus, ut historicum decet. Ejus opus, ad res civiles et ecclesiasticas illius temporis cognoscendas utilissimum, XXXI libros complectebatur, a Nerva imperatore usque ad Valentis obitum, sed XIII priores perierunt. Otto Holze ea, qua pollet, sollertia edidit quae de opere Marcellini supersunt, additis praeterea excerptis auctoris ignoti de Constantio Chloro, Constantino Magno et aliis imperatoribus usque ad infaustam Theoderici mortem.

H. MARTIJA, C. M. F.

Exercitationes Scholares

El tren y los caballos. (n. 30). — Llega el tren a la estación de Signi y se detiene un poco. Cuatro caballos pacen en un vecino campo. Uno de ellos dice audazmente a la locomotora: — ¡Con qué vanidad y arrogancia surcas la llanura! ¡Qué ufana vas con tu séquito de coches! ¡Qué fuerza esa con que te arrastran el fuego y el vapor, no siendo tú más que un metal! Pero has de saber que también nuestra raza con su inteligencia y valor ha hecho proezas: que lo digan sino las esforzadas tropas de Aquiles, de Alejandro, de Ciro y el valeroso César. Por medio de nosotros, hombres egregios civilizaron a los bárbaros. Nuestras alabanzas están en boca de todos. Responde la locomotora: — Hoy en día los gustos van por otro camino. La carga que vosotros cuatro no llevaríais en un año, la llevo yo en menos de un día.

— No ensalces tanto las hazañas de los antepasados, que vengan a mengoscar el mérito de los que hoy sirven útilmente a la patria.

ALOISIUS VILLASANTE

Conlegii Aranzazu alumnus

Per certamen ad victoriam. — Cyrus, Persarum rex, ut animos militum concitaret, diem totum excidendo saltu eos vexavit. Mox postridie eis liberales epulas dedit et postea eos interrogavit utro magis essent congavisi. Cum epulas magis probavissent, dixit eis: Atqui per illa ad haec adveniendum; quoniam nec liberi nec beati esse potestis, nisi Medos viceritis.

JOHANNES RIPOLI

Conlegii Cervariensis alumnus

Cyrus, Persarum rex, ad animos militum concitandos, defatigavit eos totum diem silvam excidentes. Postridie ad epulas liberales invitavit, quibus finitis, rogavit eos utro magis congauferent. Cumque epulas probarent, ait eis: Atqui

per illa haec consequenda sunt; nequittis liberi felicesque esse nisi Medos viceritis.

JOSEPHUS ALONSO, C. M. P.

Barbastrí

Mater Purissima

Tunc cives mane, placida quiete,
Cum vacant somno, manibus fenestram
Pando, per campos oculos apertos
Tendo serenus,

Atque florentem video omne pratum,
Arbores cerno virides et altas;
Emicat lumen, radiisque celat
Lumina noctis.

Nascitur Phoebus nitidus fragransque
Cujus aspectu tenebras requirunt
Astra, campique aequora clariora
Usque videntur.

Audio, dum ista video, suave
Murmur; «Est, inquit, Tua Mater hisce
Pulcrior rebus, quia semper alba
Mansit et insons».

Murmure audito, sonitis acutis;
«Mater, inclamo, simulata vestis
Montium nix est, Tua pulcritudo
Vera manebit».

JOSEPHUS BAGARÍA, C. M. P.

In Gymnasio Barbastrénsi Alumnus

Diogenes philosophus. (Ann. IV, núm. 1). — Philosophus Diogenes, tota Graecia ceber, honores et divitias despexit. Cum totam fortunam dereliquisset, in dolio vitam egit, quod aurum et argentum duceret non solum inutilia, sed etiam noxia esse hominibus. Cum se fugae commisisset servus quem habebat, domum reduci noluit, quia eum paeniteret quod servus sine illo vivere posset, et ille non sine servo. Celebre est quod cum bibere vola manus puerum vidisset, vas quod secum ferebat, rupit, quod id jam tunc superfluum consideraret.

AEMILIUS FERRARI

In Gymnasio Villae-Rosarii



Compositiones vertendae

Una visita de Pompeyo al filósofo Posidonio

Pompeyo solía contar que al pasar por Rodas volviendo (1) de la Siria, le vino deseo de oír al célebre (2) filósofo Posidonio; y habiendo entendido que estaba gravemente enfermo, porque sufría de gota (3), quiso no obstante hacerle una visita (4). Habiendo, pues, ido a él y saludándole con grandes muestras de aprecio (5), le dió a entender su sentimiento (6) de no poder oír un razonamiento suyo. Mas él: «Sí (7), tú lo podrás», respondió (8), pues no consentiré (9) yo que un dolor corporal (10), sea causa de que haya venido a mí en vano un tan gran personaje (11). Y proseguía contando (12) Pompeyo, que el filósofo, estando en el lecho (13), habló con gra-

vedad y elocuencia (14) sobre este asunto (15): «Que no es (16) bueno sino lo que es honesto»; y en los momentos en que el dolor era más vehemente (17), decía a menudo: «No te saldrás con la tuya (18); oh dolor, por más que seas importuno (19); nunca confesaré que seas un mal.»

Notulae

(1) Decedere ex. — (2) Clarus, nobilis. — (3) Arctus ejus laborament. — (4) Visere aliquem. — (5) Salutare honorificisque verbis aliquem prosequi. — (6) Molestie, aegre ferre quod... — (7) Vero positum. — (8) Inquit. — (9) Non committere ut. — (10) Corporis. — (11) Vir. — (12) Narrabat. — (13) Cubare. — (14) Copiose. — (15) De hoc. — (16) In infinitivo. — (17) Faces doloris alicui admovere. — (18) Nihil agis.. — (19) Molestus.

Hamaxostichos ⁽¹⁾ et Aselli

Convallem Alpínam sat longus hamaxostichos
 Secabat (2) primum. Nonnullos novitas rei
 Asellos turbat, qui pacem amissam dolent.
 Erat ad stationem ventum. Sic rudentibus
 Vaporalis ait machina: (3) Nobis undique
 Vertuntur populi, mire via consternitur:
 Accipiunt fluvii pontes, silva caeditur:
 Per montis íntima liber transitus patet,
 Via sub terris strata actoque fornice (4).
 Vos, vobis símiles semper, cernitis parum,
 Rebus in humanis, vestrum sit solummodo
 Onera, portare et quandoque rudere.
 Humanitati quidquid est bonum et utile,
 Recens quamquam novumque, mente (5) praeditus
 Et consilio vir excipiendum (6) existimat
 Immo inventorem meritis tollit laudibus.

L. ROCCI, S. J.

Notulae

(1) De hac voce confer «Palaestram Latinam», n.º 30 in operculis Apud nos vocatur *el tren*. — (2) Recorria, atravesaba — (3) Aliis place verbum *traha*, nobis cum *Candidato* nostro *Latino* (II, p. 25) plus arridet *vaporiveha*. (4) Tú-

nel; *via... fornice* ablat. absol. — (5) *Cordura*, juicio, *seny*. (6) Que ha de recibirse.

Prof. Emmanuel Jové. C. M. F.
Moderator

Typographia F. Camps Calmet. - Tarrega